

Nat. Jos. de Necker ... Corollarium ad Philos. botanicam Linnaei spectans : generis, speciei naturalis &c.; vegetabilium omnium detectorum; fructuum diversorum aliarunque fructificationis partium definitiones expletas, continens, cum tabulis separatis.

Contributors

Necker, Natalis Joseph de, 1729-1793.

Publication/Creation

Neowedae ad Rhenum [Neuwied, Germany] : Apud societatem typographycam, 1790.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tx4kw7v4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

NAT. JOS. DE NECKER, BOTAN.
SERENISSIMI ELECTORIS BAVARO-PALATINI;
HISTORIOGRAPH. UTRIUSQ. DUCAT. JULIAC.
AC MONTENSIS; ACAD. SCIENT. MANNH.
MEMBR. ORDINARI; ACADEMIAR. DIVERS.
SCIENT. EUROPÆ SOC. EXTRANEI,

COROLLARIUM


*Ad Philos. botanicam Linnæi spectans,
generis, speciei naturalis &c., vegeta-
bilium omnium detectorum; fructuum
diversorum aliarumque fructificationis
partium definitiones expletas, continens,*

CUM TABULIS SEPARATIS.



NEOWEDÆ ad Rhenum,
Apud SOCIETATEM TYPOGRAPHICAM.

1790.



A M P L I S S I M O

P R A E S U L I Q U E D I G N I S S I M O

D O M I N O

D O M I N O D E S A L A B E R T ,

O R D I N I S

S A N C T I M I C H A E L I S

E L E E M O S Y N A R I O ;

A B B A T I C O M M E N D A T A R I O

T H O L O N E N S I S &c. &c.

O P U S C U L U M B O T A N I C U M

O F F E R T A C D E D I C A T .

N. J. DE NECKER.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30793798>

Quod opusculum in lucem edimus, ad Philosophiam botanicam celeberrimi Linnæi spectans, supplementum. *Generis speciei naturalis*, *prolis*, quâ constituitur illa; *varietatis* vegetabilium; fructuum (1) aliarumque fructificationis partium definitiones expletas complectitur.

Plurimis plantarum attributis, technica tribuimus verba nova, quœ in ordinem alphabeticum adducuntur, ut genuina *genera*, meræ *species naturales*, sagacissimis quidem viris, historiam naturalem collentibus, huc usque ignota, in gratiam botanophilorum tironumque ritè præfiniri queant.

Quas vegetabilium partium definitiones (2) diversas nostrum continet opusculum, nonnullæ nobis emendantur. Hasce de prompsimus: 1º. ab etymologiâ generis nec

(1) Frūctus, qui theca, scrinum cystaque nuncupantur, ad *scopolium* pertinent. Cons. authoris introd. ad Hist. nat.

(2) Definitio est oratio, quæ id quod definitur, explicat quid sit. Cicero. Vis ejus rei, quam ritè definis, sic exprimi debet, ut neque absit quicquam. Cicero.

Rem accuratè definire, inquit summus *Helvetius*, verbis est brevibus ad intelligentiam accommodatis eam ita exprimere, ut cum alterius rei definitione, confundi nequeat: hinc fructificationem vegetabilium plenissimè defini-

non speciei; 2º. a naturâ; 3º. a structurâ; 4º. a figurâ; 5º. a numero; 6º. a consistentiâ; 7º. a simplicitate ac compositione nonnullarum fructificationis partium; 8º. ab experimentis dubitationem nullam relinquentibus; 9º. ab effectibus singularibus, quos in germen seminum, aliena fœcundans lympha, producere solet.


Vegetabilium semen, eadem adhuc denominatione promiscuè confunditur cum altero organico compendio, cui peculiarem latinamque vocem distinctam imponere debuimus, quoniam inter utrumque compendium discrepantia maxima (1).

Tabulæ, quæ in operibus nostris *Corollario* nempè, *Elementis Botanicis* ac *Phytozoologiâ philosophicâ*, memorantur; separatum volumen formabunt, quod ad ipsa tria attinent tabulæ.

Dabam Mannhemii ex
Museo 24 Maii 1788.

re nobis est brevibus verbis ad intelligentiam accommodatis, non tantum ejus partes constituentes, sed etiam omnes utriusque sexus effectus ita exprimere, ut a cæteris plantarum partibus, discerni queat fructificatio illa. Vide definitionem seminis, quæ in hoc Corollario, extat.

(1) Cons. Seminis besiminisque definitionem.



COROLLARIUM

A D

PHILOSOPHIAM BOTANICAM.

AGAMIA, vox, quam pro cryptogamiâ primus inter omnes botanicos proposui (1), siquidem plantæ ad cryptogamicam classem attinentes, utroque sexu plane carent (2), ut nos edocuere observatio-nes & experimenta.

Pro certo dicitur, clar. *Gærtnerum*, nobiscum agnovisse phryganophyta, asexua-lia esse. Conf. authoris opus *de fructibus se-minibusque plantarum*, 4^o. anno 1788 editum.

AGGEDULA, capsula simplex, unilocula-ris, vasculiformis, circumscissa, operculo calyptrâque instructa, naturâ coriaceâ, besimina planè sterilia includens. Icones 1, 2. 3. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 16. 21. tabulæ LIII.

ACRONUS, basis punctiformis, disco ca-rens, quæ apici pedunculorum fructifica-tionis, insidet. Icones 6. 7. tab. XXXI, & icones 5. 6. tab. XXVII.

(1) V. adnotationem X. *Act. phys. Acad. Scient. Theodoro-Palat.* insert. anno 1775, ad pag. 286.

(2) Conf. diversa opera nostra & dissert. *Act. phys. Acad. Scient. Mannh.* insert. anno 1770.

A X I S, basis linearis, communis, cui fructificatio amentacea adnectitur. Icones 6. 7. tab. XLVIII.

A C H E N A, capsula, cujus involucrum, simplex, naturâ coriaceâ, minime dehiscens, in quo semina fertilia includuntur. Icones 4. 8. 15. &c. tab. IV.

Dantur achenæ, quarum involucrum duplex; utrumque haud dehiscens, exteriorius, quasi ossium, interiorius, carnosiusculum semen fovens. Icon. 11. 12. tab. XLVIII.

A N A B I X, individuum solitarium sive multiplicatum, evidenter neutrum, s. genitalibus partibus ad foecundationem aptis planè destitutum; ex incrementis gemmosis plumuliformibusve inseparabilibus oriens; e propriis etiam renascens reliquiis. Conf. nostr. *El. bot.* & *Phytozool. phil.* secundum systema omologicum nobis detectum, exhibita.

B A C C A, fructus e germine pistilli natus. Hujus involucrum duplex. Exterius membranaceum lignosiusculumve; interiorius pulposum & carnosum semina fovens officiis carentia. Icon. 18, tab. V. icones 13. 14. 15. &c. tab. VI.

B E S I M E N, corpus organicum, præformatum, per se animatum s. vivens, plurimâ & radiculâ constans (1), ab initio mu-

(1) Dantur besimina, radiculas, cotyledones & plantulas, suppeditantia, nullo tamen interveniente utroque sexu, ut foecundatio adimpleri queat. Conf. genus LII. *Elem. bot.* Alia

cosum, dein solidum evadit, in matrice consentaneâ oriens, vegetans inque plantam sese evolvens, nullâ interveniente copulâ. Conf. tab. LII. nostror. *Elem. bot.*

CAPSULA, fructus cavus naturâ, coriaceus, sponte dehiscens, cuius involucrum simplex: valvis, loculamentis, aut receptaculo proprio, quibus adnectuntur semina. Icones 21. 22. 23. 24. 25. 29 &c. tab. XIV.

CALPA, capsula simplex, unilocularis, urnæformis, circumscissa, calyprâ tecta, sessilis squamulis ambita, in quâ besimina sterilia. Icon. 21, tab. LIII.

COLESULA, vaginula globulum cruciformiter dehiscensem, emittens. Fructificatio hæc, besimina planè sterilia, receptaculo elasto-crinulato affixa, continet. Icon. 1, tab. LIV.

CYSTA, fructus minime dehiscens e germine oriens, triplici involucro. Exterius, membranaceum, fragile semina involvens. Icon. 20, tab. XXIV. Icon. 13, tab. XXVI. Icon. 14, tab. XXX.

DISCUS, (1) fulcimentum, nullâ fructus

besimina tenuissima, planè sterilia. V. genus & tab. LIII; tandem besimina nuda, quæ sine copulâ in plantas frondosas convertuntur. Conf. ab. LIV. ejusd. operis.

(1) Vox clar. viris *Adansono & Scopolio* etiam usitata, circa singulares fructificationis partes vegetabilium. Conf. *Famill. des pl. & Introduc. d hist. natural.*

parte, ut in receptaculo propriè dicto, involutum, quo fulcimento elevatur sustineturque fructificatio. **Duplex**: communis nempè & proprius. **Discus** communis, qui pluribus flosculis tectus, ovatus, clavatus, elongatus, filiformis; aliis linearis, digitiformis, &c. **Icones** 19. 20. 21, tab. I. **Icones** 15. 17, tab. IV. **Icones** 1. 2. 3, tab. XLVII. **Icones** 3. 4. 5, &c. tab. L.

DISCUS PROPRIUS utrumque sexum conjunctum separatumve elevans, figurâ diversissimus, conicus, globosus, planus; aliis ovatus, convexus, circulo-membranaceus, folioliformis, urceolatus, angulatus, glandulosus, tuberculatus; aliis aculeato-punctatus, cyathiformis; aliis medio perforatus, columnaris, pedicelliformis; aliis cupulæformis, cylindricus, lamellatus, tandem repando-linearis. **Icones** 7. 8. 9. 10, tab. XXVII. **Icon.** 17, &c. tab. XXVIII. Uterque discus, receptaculum impropriè Linnæo dicitur. Vid. receptaculum.

DRUPA, fructus, cuius involucrum triplex: singula, minime dehiscentia. **Involucrum** exterius, membranaceum; medium, carnosum pulposumque; interius, osseum, quo nucleus includitur. **Icones** 12, tab. XXVI. **Icones** 11. 12. 13, &c. tab. XXI.

DISSEPIMENTUM, paries, quâ in concamerationes plures, fructus distinguitur. **Icon.** 11, tab. XXXV. Aliud dissepimentum fructui parallelum, membranaceum, diametro & latitudine valvis æquale. **Icones** 7. 8. 11. 14. tab. XXXVIII. Disse-

pimentum fructui contrarium, attributum membranaceum, cuius valvae transversè ita disponuntur, ut fructui non sint parallelæ. Icones 7 8. 9, &c. tab. XXXIX.

EPIMENA, (perigynanda), supra pistillum (calix superus, corolla supera ex mente Linnæana).

ELYTRICULUS, involucrum parvum florale, quo sexus, proxime obvolvuntur. Conf. tab. I, II, III, & *Element. bot. nostr.*

ERISMA, sustentaculum commune, cui flosculi glumacei, congesti, ita inter se disponuntur, ut illud hisce tegitur. Icon. 26. 29, tab. XLV.

FLOS MONARINUS, nobis tegumentum dicitur, quo mares solitarii includuntur: hinc, flores diarinus, triarinus, tetrarinus, pentarinus, hexarinus, heptarinus, octarinus, ennearinus, decarinus, dodecarinus & polyarinus: id est flos monogamicus five hermaphroditicus, unum, duos, tres, quatuor, quinque, sex, septem, octo, novem, decem, duodecim & multos mares amplectens. Conf. *Elem. bot. nostra*.

GENUS, (in vegetabilibus), collectio specierum naturalium, diagnostico universoque characteribus, congruentium. Hi characteres non tantum ad fructificatio-
nis partes, sed ad cætera attributa æque ac illis necessaria pertinent, ut singula ve-
getabilium genera, ritè distinguantur. V.
opera nostra, *Element. bot. & Phytozoolog.*
phil.

GYMNOCIDIUM, tuberculum nudum, ba-

sin pedunculorum setaceorum occupans.
V. genus LIII. & iconem 17, tab. LIII.

INCREMENTUM INITIALE (phryganophytorum ac athrosophytorum), plantarum evolutionis principium monstrat, simplex & complicatum. Incrementum simplex frondulosum, ex adultis frondosis plantis, oriens, ab hisce inseparabile. Aliud separabile: scilicet pulverulentum & granuliforme. Incrementum complicatum, in minutis foliolisque coarctatis consistit; a pristinis plantis inseparabile; figurâ minimum, punctiforme, gemmulaceum, tandem plumuliforme. Ultimum hocce incrementum, *cotyledones*, immoderato systematico, nuncupatur. Conf. phryganophytorum species in *Elem. bot. nostris existentes & icones 27. 28. 29. 30*, tab. LIII.

LYMPHA FÆCUNDANS f. vivificans, fluidum activum unicumque vivificationis instrumentum vegetabilium, ab initio grumosum, dein diaphano-liquidum, per foecundationes alienas, germinis partes ita penetrat, ut in semen abitum inque matrice congruâ evolutum, novum evadat individuum solitarium multiplicatumve, quod *proles hybrida* nobis propriè dicitur. Vide observationes & decretoria experientia clar. Kölreuteri de plantis per alienas copulas enatis & phytozoolog. nostr. philos.

LEGUMEN, fructus, figurâ varius, cuius involucrum simplex. Semina, inferiori futuræ affinguntur, mediante receptaculo

brevissimo. Legumen hocce sponte dehiscens, *chenaceum*: minime dehiscens, *achenaceum* nobis nuncupatur. Icones 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23, tab. XXXVI.

MONOGAMUS (*flos*), vox latina ex utroque verbo deducta, sexus conjunctos in eodem flore includens: itaque, *flos monogamicus*, *flos hermaphroditicus*. Utraque vocabula hæc, eandem rem apud nos significant, quanquam in sytemate sexuali, per vocem monogamicam, aliter intellexerit *cel. Linnæus*.

MATERIA LUSTRIFICANS, fluidum mucosum glutinosumve, tenella besimina, per se animata seu viventia irrigans, ut eorum partes, ad ultimum usque incrementi terminum, sese explicari queant. Dantur besimina prorsus sterilia. Vide *Element. bot.* & *phytozoolog. phil. supradict.*

NOCONAMUM, capsula duplicitis generis, unilocularis, bivalvis, exigua: in quâ tenuissima besimina planè sterilia: alia granuliformia. Icon. 26, tab. LIII.

NEPHROSTA, capsula sessilis renata, unilocularis, bivalvis, intra foliorum axillas recondita, lateraliter dehiscens, in quâ tenuissimus inflammabilisque pulvis continetur. Icon. 24, tab. LIII.

NECTARIUM, propriè dictum, nobis intelligitur glandulæ, liquorem melleum, efficientes, & staminum basin occupantes. Aliæ dantur vegetabilium partes, succum in floribus melleum administran-

tes, sed nullius momenti pro characteribus determinandis.

NUX, fructus: involucro dupli: utrumque haud dehiscens; involucrum exterius, glabrum asperumve; interius, osseum lignosumque, quo semen foveatur. Icones 21. 22, tab. III.

ORYGOMA, cavitas aut fovea sessilis, ad superficiem frondis, factâ epidermidis ruprâ, cuius fundo besimina fertilia nidulantur. Icon. 4 aa, tab. LIV.

OLIGOSPERMA (capsula), fructus, semina pauca continens. Conf. nostr. *El. bot.*

OLIGOPHYLLA (bractea), folia pauca fructificationi subjecta, diversè figurata.

OPLARIUM, cavitas obconica, in stipitem basi desinens, cyathumque repræsentans. Icon. 19 aaaa, tab. LIV.

POLLEN VEGETABILIA, congregatio globulorum minutorum, inflammabilem, in quibus lympha fœcundans, continetur. Conf. nostr. definitionem fluidi vivificantis ad pag. 14, & opus germanici scriptum clar. *Kölreuteri*, de hybridis plantis.

PROLES VEGETABILIA, individuum mortale solitarium multiplicatumve fœcundatione naturali aut artificiali enatum. Si maribus feminisque ejusdem plantæ hermaphroditicæ procreatum fuit, *proles legitima*: contrà, ex utraque diversâ plantâ ejusdem speciei, ortum, *proles hybrida* nobis dicitur. Qualemcumque solitarium vel multiplicatum individuum, utroque sexu præditum, cuius exteriores partes in solo

extraneo demutatae fuere, sive in climate maximè diverso ab illo ubi prius incoluerat, nulla interveniente mutatione quan- diù in eodem remanebit solo, tunc prolem novam formabit, cui nullo modo, fœcun- datio participavit. V. *Phytozoolog. phil. nostr.*

POMUM, fructus subrotundus, turbina- tusque, ex perigynandâ exteriore, ortus: involucro triplici. Singula, haud dehis- centia. Involucrum exterius, membra- naceum; medium, carnosum, interius, quo semina involvuntur, coriaceum. In quibusdam idem involucrum, tenellum ac dissolubile. Conf. nostr. *El. bot.*

PEROCIDIUM, tuberculum paucis foli- lis squamulosis tectum, basin pedunculo- rum occupans. Icon. 18, tab. LIII.

PERIDROMA, frons adolescens, in orbem convoluta. Icon. 16 a. tab. LII.

PERIGYNANDA, tegmen, quo uterque sexus separatus sive conjunctus vegeta- bilium, involvitur aut circumdatur. Du- plex est: nempè communis & proprius. Perigynanda communis, unico, duplice, triplici (raro multiplici) tegminum or- dine, flosculos sive elytriculos congestos, masculinos, femininos, monogamicos, neutrosque, circumdans. Icones 1. 2. 3. 4, tab. I. Icones 2. 3. 9. 10, tab. II. Icones 1. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15, &c. tab. III.

PERIGYNANDA PROPRIA, quæ ex unico, vel duplice communiter ordine componitur,

utrumque sexum conjunctum vel separatum circumdans obvolvensque. Cùm duplex est, exterior, interiore crassior: interior verò exteriore tenuior & varie colorata. Utraque supra pistillum, epimena: infra posita, ypomena nobis nuncupatur.

Perigynanda, *monosepala*, *disepala*, *trisepala*, *tetrasepala*, *pentasepala*, *hexasepala*, *heptasepala*, *octosepala*, *enneasepala*, *decasepala*, *dodecasepala* & *polysepala*, illa quæ unicum, duo, tria, quatuor, quinque, sex, septem, octo, novem, decem, duodecim & multa tribuit tegmina ad sexus obvolvendos, proficientia.

Perigynanda alia datur: scilicet *monolepida*, *dilepida*, *trilepida*, *tetralepida*, *pentalepida*, *hexalepida*, *octolepida*, *decalepida*, *dodecalepida* & *polylepida*, illa, quæ duabus, tribus, quatuor, quinque, sex, septem, octo, decem, duodecim multisque squamis constat. Icones 2. 3, 4. 5, &c. tab. V.

RECEPTACULUM propriè dictum, basis exterioribus fructūs partibus abscondita ac oboluta ejusque interioribus affixa, quā basi nutrimentum semini aut besimini, suppeditatur. Hoc receptaculum, quod *placenta*, Turnefortio dicitur, structurā diversissimā, tetragono-lineare. Icon. 17 b., tab. XX; oblongo-conicum. Icon. 19 a.. tab. XXI; trigonum. Icon. 10 a., tab. XXVI; aliud membranulo-lineare. Icon. 15 a., tab. XXVI; filiforme. Icon 17 a., tab. XXVI; aliud columnare Icon 11, tab. XXXIV; ovatum

ovatum s. subrotundum; aliud punctatodimidiatum; elypticum; angulatum; pyramidale; cylindricum, reniforme. Icon. 13 a a., tab. XVII; aliud stiliferum; elasticolanuginosum, crinulatumve. Icon. 2 b., & icon. 4 b b b., tab. LIV.

Alia dantur receptacula membranacea, longitudinalia. Icon. 16 b b., tab. XXVI; alia brevissima. Icon. 14 b., tab. XXXVIII; alia tria: singula malleoliformia, quibus affinguntur semina. Icon. 11 a a a. tab. XXXII, alia, filiformia, futuris utrinque interjectis, seminifera. Icon. 13 a. tab. XXXVII &c.

RAPHIDA, capsula subuliformis, unilocularis, bivalvis, ab apice ad basin dehiscens, cuius interiori receptaculum lineare cui besimina tenuia, planè sterilia, adnectuntur. Icon. 5. 6, tab. LIV.

SILIQUA, fructus, elongatus, bilocularis, bivalvis, cuius involucrum simplex, sponte dehiscens. Hujus interiora, separantur dissepimento membranaceo, ad quod brevissimum adhæret receptaculum seminiferum. Icones 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 14, tab. XXXVIII.

SILICULA, fructus brevis, uni-bilocularis, bivalvis, cuius involucrum simplex, dehiscens & minime dehiscens. Hujus dissepimentum, membranaceum, valvulis parallelum & hisce contrarium, seminiferum. Icon. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19, tab. XXXIX.

SCRINUM, fructus ex involucro triplici compositum. Exterius, lignosum minime

dehiscens, medium pulposum, interius sponte dehiscens, membranaceum, semina fovea. Icon. 12. tab. XXV.

SPADIX, fulcimentum intra bracteas spathasque exortum, quo fructificantes partes inter se connectuntur sustinenturque. Datur spadix, nullam divisionem habens: itaque simplex: alter vero compositus, siquidem in ramulos fructificantes dividitur uti vegetalia generis LI. Conf. nostr. *Elem. Bot.* & tab. LI.

SCYTINUM, fructus siliquiformis, involucro duplo: singula non dehiscencia. Involucrum exterius, coriaceum lignosumque, interius pulposum, carnosumve semina condens. Icones 13. 14. 15. &c., tab. XXXV. *Ceratonia* v. g., *cassia*, *tamarindus*, *hymenea* suppedant exempla.

STROBILUS, fructus imbricatus, constans squamis coriaceo-induratis, etiam carnosis, quibus achenæ ossæ f. carnosæ redunduntur Icon. 6. 7. 8. 9. 10. 11., tab. XLVIII.

SEPALUM, pars exterior interiorque perigynandæ propriæ, generationis organa vegetabilium, sexusve plantarum circumdans. Conf. icones characteresque, qui in *Elem. bot.* nostr. describuntur.

STELLULA, expansio f. dilatatio foliolorum ad apicem latusque furculi quorundam phryganophytorum. Hujus foliola, marginalia, latiora (1): centralia vero,

(1) *Micheli Nova pl. gener.* Tab. 59. fig. 1.
M M M M.

imbricatiuscula (1). Alia perangusta, isthmis, articulifve distincta (2); alia tandem inarticulata (3). In quibusdam ejusdem generis plantis, minutissima, stellularum centro, videmus folia (4), quæ germinativam per se possident facultatem (5). Folia hæc vera, sexus, seminave (6) *Meesio*: contra, masculi & feminei flores (7) aliis systematicè nuncupantur. Ad rationem perpendendum, diversa hæc verba, nostris temporibus sexualismi universi fautoribus usitata, male accommodata esse, quoniam nullum lymphæ aut pulveris fœcundantis vestigium, ad interiora individuum memoratorum certissime existit, ut amplexus conjugalis fieri possit.

Per annos plures, experientia nos docuit, pulverem in hac parte inclusum, quæ *Anthera* Linnæo (8); *capsula* contra (9) Hedwigio hodie dicitur, nunquam

(1) *Dill. Musc.* Tab. 54 fig. 9. Hanc figuram cum speciminibus vivis, prorsus congruere observavimus.

(2) *Mich. gen. pl.* Tab. 59 fig. G. H. Q. R. AAA. *Hedwig. Stirp. Criptog. Fasc.* I. Tab. VII fig. 7. tab. VIII fig. 11.

(3) *Ibid. Tab. IV* fig. 7. *Mich. gen. Tab. 59* fig. F. Q. R. Litter. bbb. ccc.

(4) *Dill. Musc.* Tab. 54 fig. LL. n.

(5) *Mees de Polytrich.* Act. Harlem. tom. X.

(6) *Ibid.* L. C.

(7) *Fundam. Hist. nat. Musc.* part. I. II. 4^e.

(8) *Gen. pl.* Ed. VI.

(9) *Fundam. Hist. musc.* part. II. pag. 9.

germinare, ut novæ nascantur plantulæ: itaque besimen sterile esse didicimus (1). Quid concludendum ergo de juniore musco, cui radiculam, plumulam, cotyledones, cum descriptione & icone quidem, microscopio aucta, repræsentavit DD. *Hedwig* (2)? Quandiù viva similiū partium specimina, haud nobis perspicientur, existimare cogemur de suo illa addidisse, propter *cryptomaniam* (3): hac ratione, adolescentes junioresve muscos cum cotyledonibus, cæterisque attributis supradictis, ex aggedularum pulvere enatos, nemineque visos nisi imaginatione authoris, mera esse commenta audacter declaramus: nam ultericribus experimentis (4) decretoriis, hoc confirmatur.

(1) Besimina in fructificatione plantarum ad genera LIII, LIV pertinentium, prorsus sterilia esse, ulteriora confirmarunt experimenta.

(2) *Fund. hist. nat. musc.* part. II. pag. 54, 55. Tab. V. fig. 26 a. 27. b.

(3) *Cryptomania*, immoderata cupiditas, quâ ab excogitato ficto, ad veritatem occultam traducere conantur, pertinaces sexualismi universi fautores, ut sexualis systematis menda, scientiæ cultoribus, credulisque botanicis perpetuô ignota fit.

(4) Experimenta de aggedularum pulvere, celeb. *Dillenio* & nobis absque successu, semper instituta fuere. Quibusdam viris etiam, infatione industriis ac neutri parti addictis, in dissertatione nostrâ, ad academiam scientiarum

Quanquam v. g. in aggedulis contentus pulvis supradictus, germinandi inque plantam sese evolvendi facultatem possideret, non feminis propriè, sed besiminis characterem constitueret. Consul. expletam definitionem utriusque organici compendi vegetabilium in hoc corollario.

SPECIES NATURALIS (in vegetabilibus), ens immortale s. perpetuò vivens. Duplex species naturalis: simplex & composita. Prior, prolem unicam tantùm suppeditat, cuius individua mortalia, omnibusque eorum partibus simillima, in regionibus locisve variis disseminantur. Individua hæc, utroque, sexu, pro conjugali amplexu instruitur. Altera datur species naturalis simplex, cuius individua utroque

petropolitanam missā, eorum explorata, suo tempore, exponemus experimenta, quibus observationes nostræ, nostraque tentamina, stabilia permanebunt. In commentarium DD. *Hedwig*, adnotationes criticas addere necesse erit, ut omnes veritatis investigatores ejusque defensores, de ingenii imaginatione & de analogiæ fäutoribus, triumphatum iri veritatem illam, pro certo teneant.

Observandum, dissertationem nostram, huc usque in lucem edi non potuisse, donec supradictum authoris commentarium, academiâ metropolitanâ coronatum, nobis priùs expensum fuerit: nam a mense novembri anni 1787, intra manus illud opus tantùm possidemus: præterea, postquam opera duo diversa, quæ ad historiam naturalem spectant, absolvero.

sexu ad fœcundationem apta, planè carrent; hinc neutra. Consul. nost. *El. bot.* nostrainque *Phytozooalog. phil.*

SPECIES NATURALIS COMPOSITA, nobis intelligitur ens etiam immortale, sed diversis prolibus neutrisque individuis mortalibus formatum. Proles illæ, non tantum eodem charactere inter se affines, sed notabili convenientiâ, quam per alienas copulas solide corroborant experimenta (1). Individua prolium singularum, ad hanc speciem pertinentium, in locis variis disseminantur ac multiplicantur sicuti individua prolis solitariæ, quâ simplex species constituitur.

SPHÆRULA, globulus e besiminibus nudis, aggregatis, fertilibus, compositus (2).

SEmen VEGETABILium, corpus organicum, præformatum, in compendium redactum, per se inanimatum sæpius, unico seu duobus carnosis lobulis, plumulâ & radiculâ, formatum; ab initio diaphano-liquidum, albuminosum, dein solidum, peractâ fœcundatione, animatum tunc evadit; in matrice consentaneâ, oriens, vegetans, sensim sensimque in plantam s. arborem sese evolvens. Exteriora germinis seminum, imprægnatione iterata alienæ lymphæ fœcundantis adeo demutari queunt,

(1) Vide opus germanicè editum, de hybridis vegetabil. clar. Kölreutero.

(2) Conf. Tab. LIII. Icon. 22.

ut illud germen sic vivisicatum maturumque, sive in semen abitum ac planè evolutum, novam tribuat prolem (non speciem) quæ ad marem retroagitur.

Hæc feminis definitio, accuratissima omniumque cæterarum maxime expleta, quandoquidem partes constituentes non tantum indicat, sed propriam naturam; effectus singulares lymphæ alienæ, quæ germen ita penetrari ac imprægnari queit, ut in maturum satumque semen, hybridanum prolem administret: hinc, experimentis kôlreuterianis (1), prorsus consonat nostra feminis vegetabilium definitio.

Quæ tentamina microscopica (propter utrumque sexum, & falsò opinata muscorum fœcundata semina, authore admissa), in lucem edidit DD. *Hedwig*, mendacia sua esse attributa similia, firmissime affeveramus: sic loquitur *clar. Jacquinus*: „ref.
„ pondeo nunquam me existimasse erra-
„ re, quām humanum sit, esse a me alie-
„ num, tum verò in rebus microscopicis,
„ credidisse me semper esse errorem fa-
„ cillum „ (2).

Experimenta *clar. Kölretero*, de vegetabilium fœcundatione stabilita, maxime

(1) Observationes & experim. per alienas copulas authore instituta, in germanico opere exponuntur.

(2) *Miscellanea austriaca* 40. pag. 5.

explorata, & ritè demonstrata (1): ea vero DD. *Hedwig*, & hypothesis micheliana etiam Meesiana, quæ ab authore saxone, hodie renovantur, cum dictione diffusâ, (propter florum masculorum femineorumque existentiam), plane negativa (2); hinc, mirum non est, generationem seminaque phryganophytorum, lymphâ sive masculino pulvere vivificata, a nemine seculorum omnium futurorum demonstratum iri nos prædixisse (3). Idem ab hoc tempore, assertum iteravimus (4) & quādiū vixero, ab opinione meâ nunquam discedam, nisi quòd decretoriis experimentis ad pag. 32, 33, recensitis, contrarium nobis demonstraretur.

Propria *Hedwigii* verba prolaturi,, sed
 „ tot tantæque opiniones de sexibus ve-
 „ getabilium, inde evenerunt, imo sibi
 „ contradictoriæ adeo, ut cui anceps hæ-
 „ reret, non solum, sed *Buffon* *Neckerus*-
 „ que, inde firmam ansam arreptos sibi vi-
 „ derentur, quâ systematibus botanicis ir-
 „ riderent & posterior differte sexualitas
 „ mendacii accusat, negando pernegan-
 „ doque omnem in muscis (etiam algis)

(1) Vide Obs. & Experimenta per alienas copulas, expertissimo authore instituta.

(2) *Hedwig. fundam. Hist. nat. musc. part. I. II.*

(3) *Method. musc. pag. 272 ad adnot.*

(4) Conf. Dissert. nostr. de fœcundatione germinis semenum, *Act. phys. acad. scient. Mannh.* 1784.

,, latiori significatu sumptis, copulativæ
,, propagationis præsentiam (1),,

Hypothesis DD. *Hedwig*, eadem *Michelio* (2) & *Meesio* (3) olim stabilita nobisque refutata (4) quam verborum præstigiis illecebrosisve argumentis ad suadendum appositis plurimūm adaugere omnique modo corroborare conatus vir clarissim. argumenta hæc autem, ad sexualis fructificationis partes, pro fœcundatione, spectantia, quibus icones eleganter ære insculptas ac microscopio auctas addidit; commentitiis futilibusque sententiis releganda, quòd naturæ repugnant, veritatem occultant ac utramque magnoperè superant: liquet, irrita esse argumenta illa solisque profectò valere ampulis, cum descriptiōnibus verbosioribus.

Si in ordinibus singulis falsò opinatæ classis, quæ cryptogamica dicitur (5), unicam per alienas copulas plantulam hybrida, cum radiculâ, plumulâ & cotyledo-

(1) *Hist. musc. part. I*, pag. 12.

(2) *Nov. pl. gen.* pag. 59.

(3) De polytrich. *Act. Harlem.* Tom. X.

(4) De generat. musc. & algar. *Act. Acad. Scient. Mannh.* 1768, & *Physiolog. nostr. corp. org.* 1774.

(5) *Cryptogamia*, verbum ingenioso *Linnæo* fabricatum, ut ejus sexualis systematis exceptiones, credulis botanicis ignotæ sint, id est, ut omnis sexuum absentia in vegetabilibus ejusden classis, perpetuò ignorari queat.

nibus nobis demonstrasset, ut vivæ tres plantulæ recensitorum ordinum omnibus visibiles forent (nobis præcipue, quoniam sexus & semina fœcundata, in hujus classis individuis negare persistimusque), quemadmodum vivas plantas hybridas in horto Marcgraviano Badensi vias, obtinuit expertissimus *Kölreuterus*, tunc uterque sexus floresve masculi ac feminei, omnibus cryptogamiæ individuis nemine pernegari possent: nam individuum hybridum omne per fœcundationem alienam natum, essentialis character, unica demonstratio decretoria omniumque certissima, ad convincendum idonea, fœcundationis actum adimpletum fuisse (1) floresque masculos, femineos tandem semina fœcundata, reaptè extitisse in prolibus, quibus individuum progenitum fuit hybridum. Omnis quæcunque alia demonstratio, nudis armatisque oculis, liquidè improbabilis semperque controversa.

Quid de sexualismo vegetabilium uni-

(2) Quum effectus iste in phryganophytis, athrosophytis cæterisque plantis ad cryptogamicam falsò creditam classem spectantibus, fieri nequit, nobiscum consentiente expertissimo *Kölreutero*, patet assertum nostrum, argumentum esse ad hominem, omniumque solidissimum, quo ac eorum pervicaciâ, animoque obstinato, serius ociosus decedere cogentur sexualismi universi fautores. Cons. adnotationem 60 nostr. Phytozoologij philos.

verso afferent supradicti systematici, imprimis DD. *Hedwig*, cùm *Bonnetus*, inter logicos celeberrimos rerumque naturæ sagacissimos in seculo nostro ita sic se exprimit: *le nombre des animaux qui propagent sans le secours des sexes, est probablement plus grand que celui des animaux dont la propagation s'opere avec ce concours, & cette remarque est très féconde en conséquences relatives à l'Histoire de la génération* (1).

Animalia, quæ absque sexibus propagant, cætera per genitalia hæc organa superantia, uti declaravit supradictus vir summus, multò magis eadem lex, in vegetabilibus extare debet.

Pro certo nunc habemus, articulatas inarticulatasq. particulas, ad interiora surculorum phryganophytorum, eorumque pulverem in aggedulis contentum, neque masculos feminineisque flores, neque fœcunda semina ad germinationem apta constituere: itaque, erunt semper vigilantium somnia (2).

Ex dictis, patet botanicos tam priscos quam neotericos, philosophicam expletamque seminis definitionem nunquam dedisse (3), meram significationem vocis *se-*

(1) V. author. *Hist. Nat. & phil.* Tom. III, in 4^o. ad primam adnot. pag. 321.

(2) *Conf.* pag. 22 & seq.

(3) *Morison*, *Boerrhave*, *Rai*, *Tournefort*, *Linnæus*, &c.

men nuncupatæ, quid valeat, haud vidisse, circa lymphæ vivificantis alienæ naturam ejusque singularem potentiam (1), quæ ad interiora usque germinis seminum transmitti queit, ut idem germen maturum fatumque, in hybridam prolem evolvatur.

TRYMA, fructus involucro dupli confans; exterius, membranaceum s. carnosiusculum, disrumpens; interius, rugosum, lignosiusculum perforatumq[ue], in quo nucleus includitur. Icon. 13, tab. XVIII. & Icon. 16, tab. XLVII.

THECA, fructus cum involucro dupli; exterius, dehiscens, interius, pulposum, membranaceum, pilosum, lanatum aut fragile, semina obvolvens. Icon. 12; tab. XXV. & Icon. 17, tab. XXXII.

VEHICULUM, fluidum, ex interiore styli & stigmatis exsudans; pollinis globulorum inflammabilium, rupturæ favens, quo vehiculo, usque ad germinis seminum interiora, transmittitur lymphæ fœcundans.

VARIETAS proprie dicta vegetabilium, nobis dicuntur individua mortalia, omni-

(1) Lymphæ fœcundantis naturam ejusque effectus, per copulas alienas aliatos s. importatos novit cl. *Kölreuterus*. Consul. authoris opus de hybridis vegetabilibus; dissertationem nostram de fœcundatione plantarum, quæ *Act. phys. academiæ elect. scient. Mannh.* inferitur anno 1784: deinde, nostr. *Phytozoolog. philosoph.*, tandem feminis definitionem expletam, antehac nobis exhibitam.

bus partibus, ad illa quarumdam prolium, imilitudine accedunt, magnitudine aut paritate tamen, colore, odore, sapore, gustu, pilositie, glabritie, foliorum crisspatione, florum plenitudine, tandem quâdam monstruositate, exceptis. Similes notæ exteriores, quæ in vegetabilibus conspicuntur, meas varietates formant. Cæteræ omnes notæ etiam exteriores, ut proles singulæ, neutraque singula diversa individua, inter se distinguantur, infervituræ. Conf. nostr. Phytozoolog. phil. etiam El. bot. secundùm ystema omologicum nobis detectum, infinita, tandem adnotationem 53, quæ in Phytozoolog. memoratâ, inferitur.

UMBRACULUM, fructificatio, cuius struc-
tura diversa, e fronde exoriens, pedicel-
ata. Besimina sub umbraculo sterilia, &
receptaculo elastico ac lanuginoso annexa,
occultantur. Icones 2. 3. 4, tab. LIV.

YPOMENA, (perigynanda) infra pistillum.
(calix inferus, corolla infera, ex mente
Linnæanâ.)



DERIVATIO

*Verborum technicorum, in hoc Corollario
contentorum.*

ÄCHENA, ab alphabeticâ litterâ primâ quæ vocabulo *cheno* additur, Χαῖνω, hisco, dehisco, originem trahit.

AGGEDULA, a voce Αγγειδιον, vasculum, derivatur.

ARINUS, a vocabulo ἄρρην, mas, masculus, deducitur.

ANABIX, a voce Αναβιον, resuscitor, ad vitam redeo, originem trahens.

BESIMEN, (besimence) a vocabulo Βιωσιμος, per se vivens, per se animatum, originem trahit.

CALPA, a vocabulo Καλπη, urna, originem dicit.

COLESULA, a voce Κολεσος, vagina, derivatur.

ELYTRICULUS, a vocabulo Ελυτρον, involucrum parvum, sexus quorumdam vegetarium obvolvens, deductum.

ERISMA, a voce Ερεισμα, sustentaculum, originem ducens.

EPIMENUS (flos), ab utroque vocabulo επι, supra, & μενω, maneo, derivatur.

GYMNOCIDIUM, ab utraque voce γυμνος, nudus & εγκιδιον, tuberculum, originem trahens.

NEPHROSTA, a vocabulo Νεφρος, ren, deductur.

ORYGOMA, a vocabulo ορυγμα, fossa, fovea, originem ducens.

PEROCIDIUM, a vocabulis περι, circum & εγκιριον; tuberculum, derivans.

PERIDROMA, a voce Περιδρομής, circuitus, de-
vatur.

PERIGYNANDA, tribus vocibus Περι, circum
υνη, femina & Λύνηρ, vir, formata.

RAPHIDA, a voce ράφις, acus, subula, ori-
nem trahens.

SEPALUM, a vocabulis Σκεπή, Σκεπασμός, teg-
men, tegumentum, quo sexus uterque tegitur
circumdatur, originem dicit.

YPOMENUS, (flos) a vocabulo υπό, infra, &
ω, maneo, originem ducens.

F I N I S.

и съзиждането на християните във всички
народи, където едно и също е християнство.
Същото съществува и във всички народи
и във всички времена. И това е християнство.
И то е истинско християнство, а не
християнство, което е само наименование
на религия, която не е истинско християнство.
И то е истинско християнство, а не
християнство, което е само наименование
на религия, която не е истинско християнство.

ЗАЧИСЛЕНИЯ